

**DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
ERYSIPELE A TE
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENT. UNIVERSITATE HUNGARICA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTAT
ADOLPHUS RIEBE
HUNGARUS POSONIENSIS.**

In Thesēs adnexas disputabitur in Universitatis Palatio majori
die 19^{ma} mensis Junii 1833.

PESTHINI,

Type JOSEPHI BEIMEL.

Seiner
innigst geliebten Mutter
widmet
diese Blätter
aus
unbegrenzter Dankbarkeit
und
kindlicher Liebe

der Verfasser.

D e f i n i t i o .

§. 1.

Erysipelas, Rosa (germanis Rotblauf, Rose) est lymphatica cutis inflammatio, magis superficialis, ad majorem plagam extensa, limitibus haud arctis circumscripta, ad singulas cutis portiones restricta, quae praeter plus minus vehementem febrim comitem, propria et characteristica offert signa pathognomonica.

§. 2.

Inflammatoria haec cutis affectio gradus levioris, dum scilicet simplici tantum congestioni debetur, febre saepissime destituitur, atque tunc nomine erythrematis seu erythematidis insigniri solebat.

Erysipelatis etymon graecae originis, *α παρα τὸ ξροεσθα*, ἐπὶ τὸ πελας desumitur, id est, quod se in vicina loca trahit; denominatio haec eo explicanda, quod erysipelas minus circumscriptum, sed ad majorem cutis plagam quam phlegmone extensem, et quod locum primarie affectum saepe saepius deserere diversasque alias corporis partes occupare amet

§. 3.

Erysipelas propriis et singularibus insignitur characteribus, quibus tam ab inflammatione genuina, cum qua tamen respectu phoenomenorum et sedis maxime congruit, tam ab illegitima catarrhosa scilicet et rheumatica, essentialiter differt.

§. 4.

Phlogosis haec sequentes offert modificationes:

1. Per totam inflammatione correptam plagam sensitatur dolor, proprius, pruriens, tensivus, minus vehementis, aequabiliter diffusus, per vices remittens.

Rubor minoris, intensitatis, magis dilutus, roseus, vel pallido flavescenti colore notatus, cuius flavedinis causam, in seri copia, qua sanquis abundat, invenimus. Memorandum porro hic loci, quod pressione adhibita, pars inflammata pallescatur, hacce vero cessante, pristinum iterum recuperat colorem.

Tumor ubique notabilis, aequabiliter extensus observatur.

§. 5.

II. Substratum erysipelatis est cutis, quam tantum in superficie inflamatam ostendit, sed ulterius quoque propagatur, ita ut rete malpighianum, imo et ipsum corium morbose adficiat. Pro varia itaque phlogoseos sede varias experitur morbus modificationes, variusque determinatur ejus gradus.

§. 6.

**III. Non solum sibi proxime sitas serpendo adscit
partes, verum etiam saltu ad magis remotas et remo-
tissimas peculiari tendit nisu. Metastaticae hae adsec-
tiones, si dermatico systemati inhaereant, primitivam
specificali hujus inflammationis indolem et formam re-
tinent, quamprimum vero ad interna corporis organa
modo vicario devenerit, formam mutat, characteri rheu-
matico vel catarrhoso sese adproximans.**

§. 7.

**IV. Quoad decursum, id proprii involvit, quod ad
caeteras membranarum inflammations relatum, pree-
cipito excellat; in sanitatem non immediate uti hae,
sed mediante solummodo stadio apyretico abire con-
suevit, summam in recidivas proclivitatem relinquens,
epidermidis desquamatione tandem distinguendum.**

§. 8.

**V. Ad proprietates quas erysipelati proprios offendimus, substratum nimirum considerantes, referuntur:
siccitas, calor urens, molestus, cui sese nitor partis
adfectae cum pruritu ardente, et epidermidis in ves-
icas elevatio vel vero squamorum formatio adsociant.
Vesicae hae sero repletae, hujus secretionem morbo-
sam, squamularum vero secessus, systematis dermatici
sphaeram reproductivam alienatam demonstrant.**

§. 9.

**VI. Excitantes erysipelatis causae eadem no-
tantur, quae phlogosi et catarrho convenient, sunt**

stimuli positivi, aërisque vicissitudinibus ut plurimum tribuuntur, sed et venenum quorumdam insectorum ad erysipelas producendum par illud, quod phlegmonosum vocatur, inducere, constat.

§. 10.

VII. Maxime solenni erysipelatis exitui adnumeratur, induratio, oedema, et gangraena, suppuratum solum locum habet, cum inflammatoria adfectio, subjacentem quoque textum celluloseum occupat, vel eum phlogoseos vis ad majorem, quam vulgariter sollet, evehitur gradum, saepissime vero therapia inepta adhibita inducitur.

§. 11.

Erysipelas in omni parte corpus ambientis cutis occurrere potest. Incipit cum tensivo, molesto, gravitatis et ardoris sensu partis inflammationi subjiciendae. Animadvertisuntur nunc motus febres, qui tamen ut plurimum jam aliquot diebus antecedunt, nota gastrica vel catarrhalis stipati (febris erysipelacea vel erysipelatosa) praevio horrore plus minus retenso sesemanifestantes. Secunda aut tertia a primordio die, adpareret tumor planus, citè increscens, limitibus arctis vix circumscriptus, calidus, nitens, coloris rubro flavescentis, qui digito prementi pro tempore cedens, mox se in pristinum iterum restituit; accedit simul dolor lancinans, urens, ad vesperas magnopere, cum febris viadaucta, exaltatus, mane remittens.

Cephalaea frontalis, linqua sicca, sitis erecta, anxietas, nausea, vomitus, delassatio, dysphoria, ar-

tuum dedolatio, alvus segnis vel clausa, urina turbida, cutis siccata, arida, pulsus frequenter, pleni irregulares sistunt symptomata generalia, quae febrim erysipelatosam comitantur. Totus erysipelatis decursus, nisi anomaliam involveret, acutus, plerumque intra septimum et decimum quartum absolvitur diem.

§. 12.

Erysipelas pro varia sede, forma pathologica et charactere, quo notatur, essentialiter variat; diversae hae differentiae singillatim omnique respectu exponenda restabunt.

Quo ad sedem.

Varia partis affectae sensibilitas, situs et dignitas, plus minus vehementes turbas provocans, notabilem producit phaenomenorum discrepantiam.

Erysipelas frequenter infestat mammae mulierum praeprimis tempore graviditatis, post partum et sub lactationis opere, faciem porro, collum, dorsum, abdomen et brachia. Anglis propria occurrit erysipelatis species, scrotum in caminorum purgatoribus obsidens, quod peculiari nisu in gangraenam distinguitur.

§. 13.

Quod faciem infestat erysipelas, ex una alterave gena ut plurimum incipit, mox ad oppositam, frontem, imo et ad capillataum capitum partem progreditur; tumor cernitur altior, quam in alia corporis parte, palpebrae oedemate affectae, oculos abscondunt rubentes, labium superius, cum naso crassescunt, nares obstruantur,

aures rubent, splendent, ardent, tota physiognomia immutatur, extenditur inflammatio nonunquam usque ad fauces et tubam Eustachii, quo casu aegri molestias anginosas, doloresque in internis aurium aduersant. Quo major erysipelatis intensitas et extensio fuerat, eo plura in consensum trahuntur organa, unde morbosae cerebri reactiones, sicque cephalaea dira, delirium, sompor, aurium tinnitus, oculorum caligatio, vel conjunctivae inflammatio, photophobia, illacrymatio graniorum ad canthos collectio, vel palpebrarum hisce conferruminatio, in infantibus tenellis, convulsiones, carotidum vibrationes, molestiae anginosae, linqua arida, quandoque symptomata gastrica, respirii difficultas, et alia febris gravioris phoenomena. Hunc tamen intensitatis gradum, quod apprime notandum, tantum erysipelas, dum faciem occupat, adsequitur, nunquam illud, reliquorum corporis partium, in quibus denuo pro partis affectae sensibilitate, dolor et febris vehementia variat. In mammis lacte plenis, praeputio et scroto, dolorificum, in glandulis subaxillaribus et inquinalibus irritationem non raro sustentat.

§. 14.

Quo ad formam.

Formam pathologicam considerantes, habemus tres potiores erysipelatis species, scilicet: nudum, seu glabrum, vesiculare, et crustosum.

Erysipelas glabrum sistit communem speciem cutis inflammationis, quae tumore plano, roseo, flavescente, in superficie eminentiis nullis notato distinguitur.

Interdum oriuntur in superficie partis erysipelate affectae, vesiculae, illis, quae vesicantia producunt, similes minores et plures, phlyctaenae; vel magnitudinis ovi columbini bullae, humore seroso, flavicante, acri repletae. Vesiculae vel statim initio morbi comparent, vel serius, cum sensu tensionis, pruritus, et doloris absque ullo morbi levamine.

Diversa harum magnitudo distinguit erysipelas mox phlyctaenodes, mox bullosum seu pemphigodes, in genere vesiculare, (bläsigter Rothlauf, Blatterrose). Secundum nonnullos huc et Zoster spectat, qui tamen, recte a plurimis exanthematibus adnumeratur.

Erysipelas crustosum (räudige Rose) oritur ex vesiculari, ruptis vesiculis effluit nimirum contentus humor, seroso- lymphaticus, qui dein sub accessu aeris in crustas, coloris et crassitie diversae coit; collectus sub crustis humor acris et rodens, irritat cotim subjacentem, persaepe et ulcerata productit depascentia.

Quo ad characterem.

§. 15.

Spectato charactere febris comitantis, erysipelas anomalam quintuplici sub respectu considerandum venit, erysipelas scilicet phlegmonodes, gastricum, nervosum, septicum, et oedematosum.

§. 16.

Erysipelas phlegmonodes, febri valida, inflammatoria comitatum, ex simplici evolvitur erysipelate, vicissitudinibus externis, et ut plurimum operante genio epidemico, productum. Progreditur ex cute primitus affecta, profundius ad textum cellululosum usque; distinguitur tumore duriore, magis elevato, rubore profundo, pressione vix disparente, calore intenso, dolore vehementi, pulsante. Ubi erysipelas ad hunc gradum enectum cernitur, amittit nisum in metaschematismos; occurit in subjectis juvenilibus, robustis, sanguinolentis, in facie, rarius in mulierum mammis.

§. 17.

Erysipelas gastricum illud vocatur, quod ex sordibus primarum viarum per consensum cutini irritantibus, nascitur, vel ubi in principio simplici eryspelati sub decursu gastrica nota accedit, sive id ab accidental i indigestione ,sive a constitutione epidemica dependeat. Saepissime in praxi occurrens, ansam dedit, quodlibet erysipelas a sordibus derivandum. Dermatis inflammatio aestivo tempore ex bilis irritatione nata nonnullis dicitur erysipelas biliosum.

§. 18.

Erysipelas characteris nervosi cum diversa febris nervosae specie, socie incedit, accedente simul nt plerumque observatur, nota gastrica. Oritur vulgariter in subjectis sensibilioribus, debili-

oribus, ita, ut regnante genio epidemico, febris erysipelacea ab initio simplex, characterem induat nervosum. Muneribus nervorum laesis, non tantum febris indoles mutatur, sed et topicæ dermatis affectio notabiles experitur mutationes; pallescit nimirum tumoris color, dolor imminuitur, vel ex toto disparet, tuncque vel in aliis superficie cutaneae locis iterum comparet, aut vero vicariis reactionibus internis organorum seze manifestans.

§. 19.

Erysipelas septicum. Conjungitur quoqne erysipelas cum statu putrido, sub qua rerum positione, libenter epidemiam constituit. Phaenomena vulgo abservanda sunt illa, quæ febri competunt putridæ; affectio localis ipsa offert initiante morbo colorem fuscorubrum, lividum, plumbeum, vel plane nigrum, cum tristi doloris remissione, prorumpunt vesiculae, liquore fuscō, ichoroso accerrimo, et graveolente refertæ, epidermis secedit, reliquaque sphaceli symptomata, quandoque tertia jam die animadvertenda, imminentem indicant mortem.

Huc porro referendum erysipelas epidemicum, quod ad finem saeculi undecimi nomine ignis volatici ignis sacri, seu sancti Antonii, insignitum, per totam grassabatur Europam. Sprengels Handbuch der praktischen Arzney-Wissenschaft III. Th.

Sprengels Institut. Pathologiae. spec. Vol. I.
§. 323.

§. 20.

Ad dermatitidem malignam ulterius quoque erysipelas neonatorum, recentioribus in primis temporibus a pluribus observatum et accuratius descriptum.

Erysipelas neonatorum propria et singularia offert phaenomena; occurrit primis a nativitate diebus, ad duodecimam septimanam usque; rarissimi sunt casus, ubi infantem utero materno exclusum, hocce malo detentum observarunt. Plerumque sua sponte, nulloque praeeunte morbo, conspicitur ad umbilicum, ad regionem pubis et pudenda rubedo magnitudinis monetae minoris, circumscripta, pressioni vix cedens; tumor sueto erysipelate durior extenditur brevi post per abdomen, ad ipsum saepe funiculum umbilicalem, fit summe dolorificus; et contrahit colorem profundum vel lividum, qui initio sub premente dito albescit, quin tamen foveolam relinquere; ulteriori decursu, secedit cuticula, accedit simul partis inflammatae rigiditas, post mortem adhuc superstes. Nisus in sphacelum maximus adest, praecipue abdominis, ubi hic jam post paucos dies evolvitur; loca inflammata, sanie foetida madent, sequuntur vomitus, alvinae excretiones profusae, graveolentes, vel e contra, quod quidem rarius, obstipatio pertinax. Oculi mittunt aciem, lingua et os arescita, respiratio acceleratur, aegrotuli ducunt suspiria, et tandem sub convulsionibus, sopore et trismo traduntur ante septimum ut plurimum adhuc diem, orci fauibus.

§. 21.

Erysipelas oedematosum provocatur in partibus cedemate affectis, notatur tumore pallide rubro, fere diaphano, molli, pressione foveolam relinquens; occurrit ad labia majora, scrotum, palpebras et crura, ubi hae partes oedematose tumuerunt, sique accidente aliqua violentia externa, uti scarificatione, vesicantium adapplicatione, facili negotio inflammatione corripiuntur, insigni excellit nisu in sphacelum.

D i v i s i o n e s .

§. 22.

In praxi praeter huic enumeratas erysipelatis varietates, sequentes adhuc, plus minus essentiales distinguuntur; habent nimirum: erysipelas febrile, et apyreticum, fixum et vagum sive ambulans; quod denuo in serpiginosum et volaticum dissilit, prouti vel lente gressu, ad vicinas partes serpit, vel vero ad remotiores volitando tendit; benignum porro, et malignum, acutum et chronicum, periodicum, habituale, sporadicum et epidemicum, esseentiale et symptomaticum, sive primarium et secundarium.

Distinctio maxima dignitatis est in erysipelas idiopathicum et sympatheticum, cum medicum optime omnino ad eruendam morbi causam et curam instituendam, ducat.

Idiopathicum oritur ex causis, sistema cutaneum immediate et primario modo adficientibus, referuntur huc: atmosphaerae intemperies, stimuli chemici, venena.

Sympathicum tunc ubi causa excitans, in aliud organon, vim suam primarie exseruit, quam quod inflammatione corripitur; sic oritur erysipelas consensuali modo, ex sordibus gastricis accumulatis, idiosyncrasia.

§. 23.

Stabilitur nonnullis medicorum illa erysipelatis divisio, in internum et externum, omni fundamento destituta. Si enim unicum substratum et exclusivum erysipelatis sistema dermaticum, functio autem cutis laesa et desquamatio, essentiale sit morbi phaenomenon, interni erysipelatis idea prorsus excluditur, et potius cum cel. Richtero, pro non ente declarandum. Phlogosis enim, quae per metastasim in internis membranis excitatur, erysipelate scilicet represso, sistit quidem affectionem similem, ast tamen textura et organisatione harum partium notabiliter alteratam.

Causae et Nosogenia.

§. 24.

Peculiarem in erysipelas dispositionem omnino existere, constat, quae tamen, in quoniam proprie consistat, ignoratur; gradus dispositionis plurimum determinatur cutis conditione, ita ut ho-

nines cuti tensa, turgida, succulenta, injuriis externis minime adsueta, pereminentiam dispositi reperiuntur, referuntur itaque huc, juvenes, plethorici majori pinguedinis mole obruti, delicatuli, influxus externas anxie fugientes, faemine, imprimis gravidae, lactantes eadem tempore catameniorum Dantur porro homines, quorum cutis secunda etiam sub sanitate, inconsuete rubet, atque minimo accidente stimulo in inflammationem abripitur. Memoranda hic loci veniunt nonnullae diatheses et dyscrasiae, uti morbi hepatis, haemorrhoides, praeprimis retentae, menostasia, hydrops, & omnibus vero maximam gignit dispositionem, morbus semel exantatus.

§. 25.

Inter causas excitantes, vicissitudines aeris atmosphaerici, primum omnino occupant locum, et quidem calefactae partis refrigeratio aequa ac refrigeratae excalefactio; quo celerius et cebrius haec vicissitudo alternat, eo facilius inducitur, de quo loquimur malum, unde pistoribus et coquis, frequentibus hisce influxibus expositis, morbus solennis.

Cum catarrhus, rheuma aequa ac erysipelas, eandem agnoscat causam, in refrigerio fundatam, cumque outis cuivis harum inflammationum atrium praebeat, substrata tamen et morbi habitu, notabilem differentiam producat, rem eo tantum explicare conamur, quod illa eademe causa, relate ad agendi modum tantum differat.

Explicamus ortum catarrhi ex infracta imponderabilium conductione, atque laesa sympathia cutim inter et membranas mucosas, rheumatismi ex nimis facilis imponderabilium horum principiorum secessu, atque alterata polaritate inter cutim externam et membranas serosas, ita, ut erysipelatis ortum immediato frigoris vel caloris repente super cutem influxui tribuamus, quin tamen influxus hujuscet dynamici diversitas sufficienter explicata sit.

Elucet ex his dictis, majoris opus esse ad erysipelas gignendum frigoris aut caloris gradus, vel majoris differentiae, inter temperaturam organismi et illam atmosphaerae; eadem ex causa erysipelas multo frequentius indolem phlogoseos induit, quam catarrhus et rheuma consuevit.

§. 26.

Causae quae erysipelas idiopathicum, sporadicum inducere valent, sunt quaedam potentiae mechanicae minoris vehementiae, suamque vim ultra cutis limites non producentes, uti scarificationes, puncturae quorundam insectorum, apum, vesparum, hirudinum; luxationes, fracturae ossium, compressiones; irritamenta chemica, emplastra acria, rubefacientia, vesicantia, sudor, in infantibus urina, variarum plantarum succi venenati (*rhus vernicis* et *toxicodendri*).

Causis ad erysipelas sympatheticum producendum, utque ex irritatione tubi intestinalis vicarie in cute emergat, necessariis, adnumerantur; sordes omnis generis, bilis acriori stimulo instructa, vel copia excessiva, pinguis vel rancida, vel mole peccantia, butyrum, lardum, carnes suillae et anserinae, pisces cypri-

ni, haleces, myilli, ostreae, cancri, fraga, praesente
praeprimis idiosyncrasia; abusus potus spirituosi, aqua
corrupta, in putredinem prona; animi tandem pathemata
praecipue ira.

§. 27.

Erysipelatis neonatorum causa, a variis au-
ctoribus varia statuitur; existimant aliqui in hepatis
functione morbose alienata hanc quaerendam esse;
Walsham ineptam funiculi umbilicalis tractationem, et
nonnullarum obstetricum perversam consuetudinem,
umbilicum ad praecavendam herniam profunde impri-
mendi accusat, Renard autem lac vetustum.

Secundum alios neglecta meconii evacuatio, sor-
des, aër humidus, corruptus mephiticus exhalationi-
bus onustus, refrigerium, animi pathemata lactationis
opus peragentis, infantis nutrimenta perversa minime
adcomodata, involucra prolem ambientia impura, ma-
dida; nonnulli plane asserunt, matrem erysipelate ad-
fectam, morbum lactanti contagione tradere.

Maxime laudanda illorum sententia, qui primariam
causam aeri corrupto dicto dochiorum et brephotrophio-
rum, tribuunt, in quibus semper, si talis oriebatur
epidemia, initium cepisse confirmatum habemus; multa
alioquin hic concurrere momenta, quibus data disposi-
tione morbus in lucem prodit, extra dubitationis aleam
ponitur, quod et dysenteriae, aphtae, ophthalmoblen-
norrhoeae luculenter demonstrant.

Dispositionis tamen momentum in umbilico latere,
ex eo conjicere licet, quod morbus ab illa plerumque

parte initium sumat, et juxta funiculi decursum propagetur, quod sectione cadaveris, peritonaeum incrassatum simul purulentum inveniatur, quod tandem dispositio umbilico penitus consolidato, evanescat.

T e r m i n a t i o n e s .

§. 28.

Exitus erysipelatis iidem sunt, ac in aliis inflammationibus, nempe vel in sanitatem transit resolutio-
nis ope, vel in alias morbos, uti in indurationem, sup-
purationem, exulcerationem et gangraenam.

Erysipelas, dum in sanitatem transit, obtinet loca-
lis affectionis resolutio, et febris comitis criticis eva-
cuationibus, quinta vel septima die compositio, pro
ratione morbi intensitatis et extensionis; generatim
minus regularem tenet decursum, multaque a reliquis
circumstantiis causisque excitantibus dependent.

Febris crisibus apostaticis, erysipelati magis quam
rheumati solennibus, infringitur, sudore, urina, sae-
pe vomitu nec non diarrhoea.

Topicae affectionis tumor sensim componitur, ru-
bor et dolor simul cum tensionis sensu disparent, et
nunc obtinet cuticulae desquamatio, pro idiostatica
crisi declaranda.

Quo major inflammationis vis fuit, eo notabilior
desquamatio subsequatur, oportet; aeger persentiat
pruritum, ipse squamularum secessus continuat per
aliquot dies, ita ut non tantum partis affectae, ve-
rum etiam majoris peripheriae cuticula secedat.

Rarioribus in casibus etiam remotae et non adfectae partes, desquamari visae sunt, ita observavit Marcus pede uno erysipelate adfecto, desquamationem in altero sano obtinere. Sub laeviori morbi gradu desquamatio minus notabilis, in levissimo vix animadvertisenda occurrit. Quo minus itaque intensitati primariae affectionis, desquamatio respondet, tanto magis timendum, ne depositio morbi in alia et nobiliori organismi parte locum habeat, neque alter funestus exitus, serius otius insequatur.

Erysipelatis exitus, praeter inflammationis consectoria, adhuc per metaschematismos, et mutatam febris indolem determinatur.

§. 29.

Induratio sat frequens erysipelatis exitus, therapia inepta, adstringente facilime inducitur; sedes hujus mali est textus cellulosus, in quo lympha morbose congesta, indurationi cedit, singulae hac ratione alienatae partes, volumine augentur, unde variae functionum turbae, pro dignitate organi affecti aestimandae, saepissime originem sumunt. Observatur induratio preeprimis in illis partibus quae erysipelas jam pluries expertae sunt, vulgariter subsequitur tunc induratio, dum erysipelas crura et vicinitatem organorum glandulosorum occupat, ipsae quoque glandulae saepe saepius indurantur, in scirrum et cancrum pededentium transeuntes.

§. 30.

Hic loci memorandus mihi venit singularis infanticum morbus, recentiori aevo a Gallia et Anglia ex-

aetius descriptus, in **textus cellulosi** induratione consistens (**scleriasis seu scleremia**) peculiaremque **nexus** cum **erysipelate** neonatorum involvens, differt solum eo, quod **inflammationis sedes** in **textu celluloso** magis, quam in ipsa **cute** sit. **Medici nosocomiales Anglorum et Gallorum** hocce malum ibi frequentius obser-**vasse** referunt, caeterum rarius obvium. Si in hujus morbi naturam inquiremus, nihil aliud offert, nisi **chronicam**, **clandestine** **serpentem** **textus cellulosi** **inflammationem**, cum **praedominante** **quantitate** **fomitis** **plastici**, qui in **foliculis** **paniculi** **adiposi** collectus et **coactus**, **extremitatum** **rigiditatem** et **augmentum** inducit.

Incipit plerumque in extremitatibus, nonnunquam in partibus pfdendis, pressioni tumor induratus firmiter resistit, ligneam quasi duritiem offerens; in externa cutis plaga notatur colore caerulescenti — rubro, violaceo, flavo, lurido. Malum sensim sensimque propagatur, in rarissimis solummodo casibus integrum occupat corpus.

Cutis externa subjacenti musculo firmiter adhaeret, tenellus clamare impotens, ejulatu auxilium quaerit, tum morbus genas obsidet, deglutiendi et sugendi difficultate vexatur. Malo ad huncce gradum elato, inse-**quuntur** paulo post **affectiones spasticae**, **convulsiones** **totales**; dum aliquae partes tetani specie obruntur, insinuant **sese spasticae** **contractiones** tam **superiorum** quam et **inferiorum** **extremitatum**, comite trismo. Decursum semper observat acutum, si mortem inducit ad septem utplurimum dies excurrat, si autem sanitati cedit, quod

praecipue in infantibus provectionis jam aetatis accidit, quatuordecim dierum cyclum absolvere consuevit.

§. 31.

Suppuratio ex more rarum sistit erysipelatis exitum, nisi hoc ad phlegmonem inclinaverit, vel perverse humidis, pinguis tractetur. In phlegmonoso tamen erysipelate convenientissima etiam therapia saepissime inevitabilis, nonnulli plane asserunt in illo ad restituendam sanitatem, suppuratione ubique opus esse. Caeterum semper mali ominis phaenomenon, cum pus acre, corrodens, ichorosum cutim inter et musculos haereat, concipit superficies externa ulcera, per quae deinde pus, cum destructo textu celluloso foras prodit, et antequam hoc contingit neque sanationis opus suscipiendum esse ratione et experientia confirmatur; cicatrices ubique remanent deformes.

Ubi pus textum cellulosum profundius penetrat formantur sinus, quibus praesentibus in subjectis prae-primis debilibus, cachecticis febris subsequitur lente depascens.

In erysipelate faciei saepe tantum palpebrae suppurant, rarioribus in casibus bullosum quod dicitur erysipelas huic malo obnoxium reperiebatur, in quo minus malignum, crustis deciduis, mox sanatur, eo tamen non obstante et hic si perverse tractetur, aut ubi chronicum, habituale est, pertinaces relinquit excoriationes, per quarum superficiem lymphatica materia exsudat, in crustas mox concrescens, cui se hinc inde, variae impetiginis species et helcosis adsociant

Malitiem peculiarem indicat suppuratio neonatos infestans, in cruribus summe est vulgaris.

§. 32.

Gangraena neque haud rarus erysipelatis existus, praeprimis illius, quod charactere nervoso et putrido complicatum decurrit; gradus gangraenae sunt diversi, saepe tantum superficialis, in internis partis adfectae, continuante inflammatione, ut plurimum vero gangraena profundius tendit, destruit partem inflammatione correptam, sicque ulterius serpens, maximum inducit vitae discrimen; frequentissime provocatur gangraena in erysipelate vesiculari, et in illo oedemato, quod subjecta cachectica, aetate provecta, hydropica infestat, praeprimis autem in partibus a circulo magis remotis, in extremitatibus, scroto, praeputio et labiis pudendorum; peculiarem praeterea inhaerere nisum erysipelati neonatorum, in gangraenam, monui, quae eo imprimis lethalis evadit, cum abdomen e' umbilicum adgrediatur,

§. 33.

Expositis exitibus inflammationis generalibus, aliqua adhuc de metaschematismis, quorum ope erysipelas, alia mala postuma producere valet, dicenda restant.

Saepe saepius symptomata morbosa in pristina erysipelatis sede, repentine evanescunt, quin febris vis imminuta sit, in alio autem loco, nova in conspectum prodeunt, et quidem in eodem systemate derma-

tico, ubi nonnisi sedes morbi alienatur, vel vero in organis internis, ejusdem, vel plane diversae structuræ.

Inflammatio organorum internorum, metastatice ex erysipelate represso, orta, pro vero erysipelate declarandum non esse, evictum habemus; tali sub renum statu, adest processus phlogisticus, natura et tex-tura organi modificatus, ita, ut membranas mucosas occupans, inflammationem catarrhalem, serosas autem rheumaticam referat.

Cum internorum organorum major sit dignitas in oeconomia animali, quam externo corporis involucro, facile patet, omnes affectiones metaschematismo productas, sumnum semper inducere aegro periculum; demonstrant earum in meninges, pulmones, pleuram, pericardium, ventriculum et intestina directio, varia-que pro diversitate loci phaenomenorum adparitio, uti deliria. sopores, spirandi difficultas, asthma, vomitus, cardialgia, colica. Erysipelas sympatheticum fa-cilius idiopathicò in metaschematismos, rarius vero in organicas metamorphoses nititur.

§. 34.

Febris erysipelas comitans, eminentem ostendit nisum, in characterem nervosum, quo febri catarrhosae analoga conspicitur, essentialiter vero a rheuma-tica discrepat.

Si perpendimus proclivitatem in characterem ner-vosum, cum arida cutis conditione incedere, erysipe-laceae aequè ac catarrhosae febri propria, ad illam du-

cimur opinionem, quod ad ortum characteris nervosi, cutis pertinaciter sicca, plurimum contribuat, quam sententiam ulterius febris rheumatica et inflammatoria confirmant, cuti humida incedentes, in quibus rarissimus in statu adynamicum transitus.

Erysipelas directe nunquam inducit mortem, ob inferiorem substrati dignitatem organicam, remotiori autem intuitu exitum parat, vel ex parte febris charactere nervoso vel putrido donatae, vel ex parte topicae affectionis, liquatione et gangraena, vel deinde morbi ad interna organa migratione.

Prognosis.

§. 35.

Diversa erysipelatis species hujusque gradus, praesagium determinat. Ex internis causis enatum erysipelas febrique junctum, pro se indifferens plerumque constituit malum, majus vero periculum imminet ex parte febris comitis, unde maxima circumspectione opus esse, in praedicando futuro eventu, abunde liquet.

Spectata sede, erysipelas faciem occupans, gravius ac in reliquis corporis partibus decurrit, sed tunc solum periculo plenum, cum meninges et cerebrum simul adisciuntur, apoplexia, mania etc. induci valeat. Quo profundus magis rubor et quo majoris extensionis, eo gravius malum esse consuevit.

Sympaticum erysipelas ob inconstantem naturam, idiopathicō periculosius deprehenditur; sum-

mopere autem, ominosum, si repente evanuerit, subortis nobiliorum organorum turbis, maxima ad hancce sedis mutationem inest proclivitas, erysipelati nervoso et oedematoso, periculum hic vel sub initio morbi comparet, ubi febre vehemente et sopore erysipelas in conspectum non prodit, vel ad finem, ubi desquamatio tarde, aut plane non, iisdem iterum symptomatibus nervosis, procedit.

§. 36.

Erysipelas habituale semper labem hepatis, aliorumque viscerum abdominalium, supponens tum regulariter comparet, aegrum ab aliis quandoque morbis chronicis, arthritide, colica, cephalalgia etc. defendisse visum est, qui vero mox majori cum vehementia in lucem eduntur, dum erysipelas habituale, quod ex norma debuisse, non amplius comparet.

Praesagium universim utplurimum determinant causae, tam disponentes, quam excitantes majorem vel minorem, pro re nata, pertinaciam praedicantes, inde prognosis minus fausta erit in subjectis cachecticis, senis et praecipue tum partes oedemate affectas infestat, e scarificatione harum partium, ortum durens.

§. 37.

Erysipelas violentiis externis minoris vis punctura insectorum vel stimulo aliquo chemico productum, felicem promittit eventum, nisi simul causa interna extensioni favens accedat.

Neonatos quod infestat erysipelas, magnum ubique involvit periculum, minus ominosum conspicitur, dum

extremitates ad minorem plagam, magis, dum collum, pectus et genitalia, omnium vero maxime, dum umbilicum adgreditur, icterus et convulsiones praeprimis trismus si accedit, fere semper indicat mortem, die septimo autem devicto, consuetim convalescunt.

Arctioribus adhuc limitibus circumscribenda est prognosis, sub induratione textus cellulosi, quo cor-recti tenelli, saepissime morti traduntur, provectionis aetatis nonnunquam salvantur. Magnitudo periculi aequē hic ab extensione morbi, nec non ab anni tempore, definitur, ita ut haec hieme et autumno major sit. Infantes aphtis affecti, rarius perire asserunt.

T h e r a p i a.

§. 38.

Methodus medendi pro varia iterum causa erysipelas producente varia sit, oportet, haecque ante omnia per quantum licet, amoveatur, ita äercm mephyticum, sordes primarum viarum, ligaturam umbilicalis funiculi nimis strictam, emendare et corrigerre primum sit medici negotium.

Omne erysipelas ceu morbus in principio, et dum regulariter decurrit, semper inflammatorius, cum antiphlogisticam sibi exposcit, gradui adfectionis topicae febrique comitis, consentaneam.

Venae sectiones et hirudicum necessitas non nisi in rarioribus casibus urget, nisi grave, caput, occupet, symptomatibusque cephalicis junctum incedat vel ubi erysipelas, in aliis etiam partibus, ad majo-

rem phlogoseos gradum evehitur; sufficiunt utplurimum remedia eccoprotica, decocta emollientia, diluentia, et acidula, tam ad topicam exorbitantiam, quam ad universalem incitationem, compescendam.

Cum hacce cura generali, illa quoque conjungantur auxilia, oportet, quibus cutis functio ceu principia erysipelatis psycptici sors, in integrum restituitur. Constans siccitas dermatis, in erysipelate febrili suppressam transpirationem, urens vero calor partium inflammationi sedein praebeatum, comercium debitum imponderabilium atmosphaerae, infractum, et cohibitum indicant, unde abunde liquet, diaphoresim caute et minus tumultuarie, congruis remediis promovendam esse, respondent huic scopo optime, infusa et decocta altheae, florum verbasci, tiliae, sambuci, tepide hausta, nitrum porro, acetum ammoniacale, pediluvia, et moderata aeris aegrum ambientis temperatura.

§. 39.

Tractamen locale, quod adtinet, summi momenti sistit, rite selectum, curae partem, quod & contra perverse susceptum, non raro in peniciem cedens, pessimas inducit aegro sequelas.

Rationi et experientiae consentanea, topicae affectionis tractatio consistit, in fomentatioue sicca et calida, linteis compositis, pellibus animalibus, sacculis levibus, farina fabarum, secalia, furfure tritici, vel floribus sambuci refertis. Erysipelas faciei nimis dolens et graviori inflammationi stipatum, lind

teum complicatum solum, ut saltim aëris influxus arceantur, optime fert.

Perniciosissima methodus est, erysepelas humidis tractare, sive sint emollientia et oleosa, sive adstringentia, frigida, stimulantia fuerint, quo-cunque modo et tempore adhibita, nocent, erysepelas vel reprimunt, vel indurationem irresolubilem, vel plane exulcerationem et sphacelum producunt.

Erysipelas phlegmonosum unicum, facit exceptionem, quod cataplasmatibus humidis, calidis tractari potest, ita et erithema, in principio, imprimis illud ab insectorum puncturis obortum, idiospathicum, fomenta admittit frigida.

§. 40.

In erysipelate bulloso, quamprimum vesiculae in ejus superficie in conspectum veniunt, illae acu aperiantur oportet, humor serosus, foras manans, cauta pressione evacuatur, isque spongia exsiccatur, ita tamen, ne cuticula simul avellatur; nonnulli suadent, quin tamen omnes consentiant, excoriationibus seroso humore productis, ardoremque persaepe intollerabilem causantibus, pulveres absorbentes inspergere, quem in finem pollen licopodii, farinam foenu graeci etc. adhibent.

§. 41.

Pro characteris praevalentis diversitate erysipelas anomalam, variam deposit medendi rationem.

Erysipelas gastricum sive oriatur ex saburra, sive contrahat ulteriori in decursu, notam gastricam, emeticis vel prore nata purgantibus ad-grediendum, topica affectio more consueto compescenda erit, cutis autem universae functio leniter diaphoreticis restituitur.

Erysipelatis nervosi tractamen, secundum regulas, quae curam febrium nervosarum dirigunt, absolvitur, habito respectu indolis et gradus. Adhibentur stimuli diffusibles, vesicantia resolventia, uti sacculi aromatici quandoque camphora impregnati.

Erysipelatis septici medela, remediis instituitur, quae febri putridae competunt, secundum celeberrimorum virorum experientiam, flores arnicæ hic loci, et acidum sulfuricum reliquis palmam eripiunt; cortex chiae aegrius hic fertur, ob saburas frequentissime morbose accumulatas, quae proinde ante illius adapplicationem caute evacuandæ sorrent. Topicae affectioni peculiaris inest in gangraenam nius, sece inevitabili saepe modo insinuans. Praesente gangraena scarificatur, secundum regulas chirurgiae, affecta pars, deinde adaspergitur pulvere chiae, vel calami aromatici, singulae si obortas fuerint vesiculae gangraenescentes, lavantur decocto corticis peruviani, et spiritu vini camphorato.

Erysipelas oedematosum deposita remedia, vasa absorbentia inertia, corrigentia, urinae secretionem promoventia, hinc amara antimonialia, squillitica; externe sacculos aromaticos, frictiones panno camphora

imbuto, inspergitur etiam parti oedematose tumenti, pulvis chiae, cum camphora et myrra.

§. 42.

Erysipelas neonatorum cura, pro ratione circumstantiarum, magnopere variat; symptomatica adfuerint gastrica et hepatis laesae functiones, porrigitur purgantia, condecit tali sub rerum positione praeprimis, calomel rheo unitum, electuarium e senna compositum, enemata aperientia, emetica cauta iuana propinata. Intervenientibus sub decursu symptomatibus nervosis, spasmis, convenit infusum valerianae, moschus, hyoscyainus, flores zinci, balnea tepida, iipo ex lacte parata. Quando refrigerium in causa fuit, praestat acetum ammoniacale, liquor ammonii anisatus, camphora; charactere putrido notatum erysipelas exigit extractum corticis chinae et enemata ex eadem parata; externa applicantur ad inflammationem resolvendam, sacculi aromatici, quibus camphorae parum additur, cataplasma tepida, a nonnullis proposita, minus quadrant, cum cito refrigerenter; ingruente tandem, vel plane jam praesente gangraena, applicantur cataplasma, decocto chiae, vino rubro, spiritu camphorato, vel solutione aluminis imbuta; rigiditas partis affectae corrigitur inunctione linimenti volatilis cum vel sine opio.

§. 43.

Scleriasis seu telae cellulosa induratio iisdein profligatur remediis, quibus erysipelas neonatorum debellandum foret, cum alioquin maximam sustinet affinitatem. Usui interno, porrigitur, tartari emeticici refræ-

tem dosim, vel illius praeparati, vini scilicet stibiat guttas quatuor aut sex, spasticis adfectionibus supervenientibus, opponuntur remedia nervina, utut liquor cornu cervi, moschus, aether sulfuricus, in conoubio cum mercurio dulci.

Plus quam interna praesenti in casu praestant, auxilia externa; bis adnumerantur: vesicantia suris aut aliis quibusunque affectis partibus, adplioata; balnea tepida, cum herbis aromaticis parata, balnea vaporum, fomenta et suffimenta, frictiones, partis morbosae, aromaticis vaporibus, prius expositae.

§. 44.

Si ad interna repellitur erysipelas, omnium primo causa retrocessionis, si qua innotescit, auferenda; contrario sub rerum statu ea quantum fieri potest inquirendā, rationalique therapia oppugnanda erit, summum vero intendat medicus ad primitivam affectionem revocandam. An stimulantia, an potius antiphlogistica remedia adplicanda forent, determinat febris indeoles.

Externe requiruntur irritamenta cutanea fortiora, frictiones, cucurbitulae siccae, sinapissimi, vesicantia, vel tinctura cantharidum, quae parti cui erysipelas disparuit, vel eidem proxima adplicantur.

§. 45.

Convalescentiae cura tanto majoris est dignitatis, quo major morbo ineest in recidivas nisus. Caveant aegri ab omni aëris vicissitudine, muniant vero præprimis partem morbo tentatam ab injuriis.

externis, donec desquamatione rite praegressa , cuticula recenter formata, sensibilitatem morboam amiserit.

In principio optime quadrant frictiones leves , et balnea aromatica, serius lotiones frigidae, cum exigua aceti saturnini quantitate, aut spiritu camphorato, porro balnea martialia , aër campestris et exquisitum regimen diaeteticum.



T h e s e s.

1.

Morbum contagiosum ab epidemico probe distinguer oportet.

2.

Haemorrhoides ad ideam sanitatis non pertinent.

3.

Erysipelas internum non datur.

4.

Febris intermittens arsenico nunquam credenda.

5.

Melius curat aegros, quos sanos novit medicus.

6.

Senes et infantes in therapia non pares censendi.

7.

**Qui remediis utuntur sani, ut morbos arceant,
male sibi consulunt.**

8.

Regimen et diaeta optima sistunt prophylactica.

9.

**Omnis theoria medica, ex praxi non evoluta
rejicienda est.**
